

MELANCHTHON
IN BARBARIEM SAECVLI SVI
NON LENIS

IPSO DIE FATALI
POST DVO SAECVLA REDEVNTE

CELEBRATVR

IN ACROATERIO MAIORE

A

BENIAMIN GOTTLIB LAVRENTIO
BODEN

ARTIVM MAGISTRO

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS

MDCCLX.

Biogr. erud.

D. 1625, 6

Christ. Böhmer Vol. 11

THE AMERICAN
LIBRARY
OF THE
SACRAMENTO
SACRAMENTO
CALIFORNIA
1850



Rector magnificis animi virtutibus ample,
 Quem dignus murex et pileus aureus ornat;
 Conscripti Patres, seu Vos oracula caeli
 Enucleare iuuet, seu iura forensia, sacris
 Addita, curetis, seu Paeonis arte Potentes
 Pellatis morbos, seu doctas Pallados artes
 Ac varias rerum causas doceatis et aequum;
 Sancti Praecones, quibus est pia cura sacrorum;
 Addite conspicuis Sophies Doctoribus Ordo,
 Et Tu, Flos Iuuenum, Musarum Laeta Caterua,
 Dulcis Amor Poebi, patriae Decus atque Voluptas.
 Vos, *Auditores*, quorum praesentia dextro
 Omne conatus nostros et viribus auget!

Dignum laude virum vetat aequa perire Camena,
 Et sua doctrinae persolui praemia curat,
 Quamuis sint tumidis liuore molesta medullis.
 Sed dic, Musa, virum, qui vertice sidera tangit.
 Si quis erit liquidum fama super aethera tolli
 Et largo dignus virtutis honore, meretur,
 Corpore non magnus, sed maximus ore, Melanchthon,
 Quem non deficient mea dicere carmina functum.
 Nec renuunt Musae, nec Phoebus vellicat aurem
 Intimidi tua fata, miser Muslere, subire,
 Qui solidas, merita foecundi laude, Philippi,
 Artes in Latio celebrans, praeconia laudis,
 Scriptis effusae, tum non impune ferebas,
 Quum Brettensis honos, Italis inuisior oris,
 Te, bone praeco, tuis turbaret honoribus ipsum,



Ac furor inuidiae, nolentis in hoste probari
 Virtutem, famae tua scripta Melanchthonis aequa
 Mulciberi rutilas damnare pararet ad aras. *a)*
 Absit, vt haec fixam moueant discrimina mentem
 Aut ideo timidis vox faucibus haereat, aequis
 Auribus et doctis magis aequo carmina saeclo
 Deducentis. Abes, discors Huttere Philippo,
 Qui pugnans, alio capiente Melanchthonis arma,
 Tam malegratus eras, celeri praereptus ab ira,
 Vt manibus tabulas, mentitum corpus habentes,
 Parjete dereptas (vacuam modo cernite sedem)
 His cathedris, resonis resoni de voce Magistri,
 Dedecus haud meriti, tereres sub calce sonoro. *b)*
 Praeter eum cessant Flaciae probra fellea linguae,
 Cessant et reliqui celebrati nominis hostes. *c)*
 Hinc rapti letho suffundere busta licebit
 Largifluis lacrymis, et luctifono singultu
 Fata dolere Viri, tam flebilis Albidos orae.
 Vt cecidit flos ille, nigra tellure creatus;
 Phoebus in axe suo iam signa ducena peregit,
 Ac toties Zephyri reuirementia floribus arua
 Obduxere nouis, et edax violentia brumae
 Floriferis toties campis decussit honorem.
 Saecula nunc referunt, referunt lacrymabile tempus
 Funestamque diem, quae gaudia sustulit orbis.
 O quam moesta dies! tu laetis moesta Camenis,
 Moesta scholis iuuenum, simul ipsis moesta magistris
 Moestaque principibus, quibus haud cum laude placebas.
 O quam conspicuum decus, o quam nobile lumen,
 Quotque viros vno tollebas funere Musis!
 At quid caelicolam frustra dolor vrgeat vmbra?
 Non, si vota Deo facias sexcenta, redibit.

In

a) Totam refert historiam Hallbauer in
 diff. de eccles. Luther. politioris litteratu-
 rae patrona §. 27.

b) Vid. Mayer de lenitate Philippi Mel.
 p. 35.

c) Camerar. in vita Melanchth. p. 290.
 et 351. Inter reliquos hostes principatum
 tenent Gottfrid Arnoldus Hist. eccl. et haer-
 ret. P. II. L. XVI. c. 10. §. 18-20. p. 113.
 seqq. et Christ. Thomaf. in Cautelis p. 89.

In iustas potius laudes amor ora resoluat,
 Nec fecus hac celebret redeuntia funera luce,
 Ac stabilire piis, decoratam frondibus, aram
 Manibus herōis, dignas superaddere laudes,
 Ac meritam meriti famam renouare Philippi.
 Sed, quo Musa ruis? quae te vecordia cepit?
 Quae tibi spes aequare viri praeconia, digni
 Alite Maeonio, digni meliore Camena?
 Vt desint vires, tamen est sub corde voluntas
 Non reprobanda, cani tot de virtutibus vnam.
 Hinc, si quid venae, si quid tua carmina possunt,
 Nunc, age, non lenem, dic, Musa, stetit Philippum
 Barbariae veteris, domitorem, dic rude monstrum
 Victorisque fero latos ex hoste triumphos:
 Vt discat iustis tanti benefacta Magistri
 Metiri pretiis et honore decente vereri,
 Si quis forte tuis, non interiture Melanchthon,
 Detrectet meritis, lenemque redarguat iram,
 Aut nimium facilem rabidos te credat in hostes,
 Ac violet cineres et molliter ossa cubantis.
 Hinc, Auditores, virtutis honoribus Aequi,
 Exiguas praebete moras auresque benignas,
 Ac tenuem vestra bonitate leuate Camenam.

Prisca refert aetas, naturam pingue dedisse
 Ingenium patribus, qui nil nisi membra sonosque
 Humani tulerint, *d)* Latii sermone carentes *e)*
 Graiugenumque, rudi nulli feritate secundi,
 Barbariemque magis, quam Phoebi castra, sequuti. *f)*
 Id genus infelix, caelo miseratus ab alto,
 Ipse dolet pater astripotens, qui temperat orbem,
 Et, patrio natam de vertice, Pallada mittit,
 Saxea quae tandem praecordia mulceat atque
 Cordibus, acclinem studiis, inspiret amorem.
 Protinus in terras demittitur aethere summo
 Filia, non inuita patris praecepta faceffit,

A 3

Emollit

d) Ita indicauit olim Varus Quinētilius
 ap. Vellei. Patere. II, 117.

neae Syluii.

e) Vid. Archintus in praefat. epist. Ae-

f) Queritur id ipse Lutherus Tomo II.
 Ienens. Germ. p. 463.



Emollit mores et duro robore mentes,
 Sedula Pieria Germanos erudit arte,
 Inque nouas coepit stupidos transferre figuras. g)
 De quibus Eumenidum quum fama volaret ad aures,
 Motibus attonitum rapidis Acheronta ciebat,
 Dura suis sceptris exinde pericla timentem.
 Horrent Styx, Erebus, Phlegeton, Cocytus, Auernus,
 Horret triste specus Ditis, tremit horrida visu
 Dirarum sedes, latrantia pallidus ora,
 Cerberus ia vastis vlulat ferale cauernis,
 Plutonisque domum subit omnem frigidus horror.
 At sedet in folio rabidus dominator Auerni,
 Saeua bile tumens, coquit atrum corde furorem,
 Dentibus infrendet, vuluus sub pectore voluit
 Horrisonoque Stygis mugitu conuocat umbras.
 Agmina conueniunt, fremitu resonantia rauco,
 Murmur at ille manu premit et sic intonat ore:

„ Quis vos terror habet, nimio gens rapta timore?
 „ Tantane Tartareos deceat formido colonos?
 „ Nil desperandum, me regia sceptris tenente.
 „ Si vos estis adhuc trepidae mortalibus umbrae,
 „ Si me digna cohors, si iugiter estis caedem,
 „ Quae propria mecum mortem virtute creastis,
 „ Quae caput humanae subolis, praestantius ista,
 „ Auspiciis nostris viridi superastis in horto,
 „ Quum tamen ipsa Dei victos muniret imago,
 „ Si vobis eadem virtus: haec regna manebunt,
 „ Nec mulier, genus inualidum, mea numina vincet,
 „ Germanisue meos fasces depellet ab oris.
 „ Non feret ausa mihi, per Auernum! Pallas inulta,
 „ Nullos de nobis posthac latura triumphos.
 „ Hanc ego - - sed praestat iam missa reuifere regna
 „ Barbariem tenebrisque suis inuoluere mentes,
 „ Ne iuga decutiat melior Plutonia Teuto.
 „ At tu, bellorum genitrix, praecire sororem

„ Ne

g) Teste Hallbauero l. c. §. 30. sequ. excultae, saec. XVI. vero iterum ceci-
 itterae saec. XV omnium maxime sunt derant.



„Ne dubita, facilesque vias, vbi limina Pallas
„Clauferit, ad doctos comiti conare parari.
„Inter eos vnum tumidis de criminibus anguem
„Coniice, vel Paridi fatalia poma rapaci.
„Disiice compositam pacem, fere femina liti,
„Et prohibe iussis artes procedere terris.
„Ite, meae natae, regisque capeffite iussa.„

Dixerat et subito tremefacta vorago dehifcit
Pestiferasque niger fauces recludit Auernus.
Fit via, tristis Eris picea de sede fororum
In superas streperis terras prior euolat alis.
Porrigit ista genas et vultus exiit atros
Et rugas fugat ore suo maciemque situmque,
Casside serpentes tegit et sub Gorgone pennas
Et penitus doctae gerit os habitumque Mineruae.
Hac specie laruata scholas cathedrasque superbo
Progrediens gressu, nullo prohibente, petiuit.
Hic, pro doctrina, vacuas doctoribus auras
Et fumos vendit, nebulas obducit opacas,
Blandiloquens alios dubiis erroribus implet,
Vilibus illaqueat tricis textisque dolosis
Flexilibusque plicis contorta sophismata suadet.
Inter eos igitur pro pomis iecit et auro
Nodos, difficiles ab mentis acumine solui.
Hinc rixae calidos animis inspirat amores,
Armat et vnanimes in praecia saeua magistros, *b)*
Quos, ne transcendant Musarum limen et artes
Expoliant solidas, laqueis et lite moratur. *i)*
Tum via barbariae teritur. Sic ostia pesti
Panduntur. Rapido rursus pede prodit in auras
Monstrum enorme, impurum, infraenum, informe, proteruum,
Horriferas frendens porcinis dentibus iras.
Hirtus erat crinis, frons aspera, lumina coeca,
Torua supercilium, liuebant ora rubore,
Horror erat ceruix, fetosi brachia villi,

Dura

b) Vid. Camer. l. c. p. 357. sequ.

adducit causam pereunitium litterarum sec.
Halbauerum, Aeneas Sylvius ep. 165.

i) Contentiones scholasticorum inanes



Dura nigransque cutis, viridantia pectora felle,
 Armabantque pedes, apti praedonibus, vngues.
 Sic peragrat late loca, sic per regna, per vrbes,
 Perque scholas ipsas *k)* Musis inimica vagatur,
 Perniciosa sacris *l)* ac perniciosa profanis
 Iuribus. Ingressum, qua fert via, strata sorore,
 Flectit, ubique ferit, sanie violentius atra,
 Semen torporis foedi turpisque veterni.
 Sordibus aspergit puras Aganippidos. vndas *m)*
 Vipereoque caput sacri squalore liquoris:
 Ceu fatale malum, cancer, mordace veneno
 Artus aggreditur, late per viscera serpit.
 Ac putrido vitiat tabo iuuenesque fenesque:
 Sic non in paucis stitit ignorantia gressum. *n)*
 Omnes, qui Sophies et Phoebi sacra colebant
 Protinus inuadit crudelis et impete vasto
 Infilat in doctos oneratque iugis et adunco
 Abripit vngue, velut feruens ardore cruoris,
 Impellente fame, teneris lupus insilit agnis
 Ac dispergit oves et apertis faucibus aufert.
 Sic grassata cupit tandem succedere tectis
 Et sub coenobiis habitacula fixa reponit
 Cimmeriaque domos caligine sepit et umbra.
 Inde procul remouet Musas Charitumque choreas,
 Inde procul placidae vestigia Pallados arcet
 Et cum desidibus monachis aestiuat, hibernat. *o)*
 Hic se tristis, ohe! facies, tristissima rerum
 Se facies offert oculis! haud amplius artes
 Oblectare domi datur, haud lyra carmine laeto, *p)*

Haud

k) Pluribus de his agit Orat. Buddei de visitat scholarum per Lutherum instituta et Schoettgen de statu scholl. ante reformat De corrupto scholarum statu varias adfert scriptores Roenickius Carm. T. I. Eleg. XVIII. in notis

l) Docet ea Buddens in diff. de diuina prouid. circa reform. §. 5.

m) Rhythnici tantum placebant ea aetate versus et hymni, in quibus nullus pes suum faciebat officium. De quibus conf.

Schoettgen I c. et Rechenberg in diff. de ineptiis clericorum litterariis §. 30.

n) Vid. Christian. Stockii Orat. Inaug. de ignorantia ante et sub ref. tempus.

o) Notat eos orat. Melanchth. in laudem nouae scholae Noriberg. hab. T. I. Declam p. 438. et Mollerus de monachorum origine, incremento et decremento.

p) Negasse theologos pontif., legendos esse poetas, docet Erasmus de nat. conscrib. epist. p. 309.



Haud animos recreans auditur gratia linguae,
 Haud Danaum quaerunt Veneres, q) haud mella Quiritum r)
 Languida tunc ipsi gignentia taedia Romae. s)
 Ipse (malum) nescit succinctus murice praeful,
 Quae pueri norant, Latii vocabula nota,
 Dum piscatores miscet cum piscibus atque
 Grammatices misere certissima iura retorquet. t)
 Talia non curat praetor, grauioribus acer.
 Nam tum futilibus productae tempora vitae
 Perduntur logices spinis, erroribus apto
 Praesidio, quibus atteritur, nec sufficit aetas. u)
 Summus Aristoteles animos simul occupat omnes. x)
 Pars studet ex illo tortos euoluere nexus,
 Pars tentat maius scriptis accendere lumen,
 Non, si Diogenis niteat lucerna, coruscum.
 Sed magis officiant. Indocti Graeca tenebras
 Obuoluunt tenebris aliis obscuraque densant:
 Fontibus vt riuus primis limosior esset. y)
 Quaerit Aristomachus neruos et vincula muscae,
 Ac toto saltus metitur pulicis aeuo.
 Expediam paucis memoratu tristia verbis:
 Omnia barbariae sub habenis foeda tenentur,
 Obruta lucifugis vmbriis coenoque sepulta. z)
 Horrendum furit in Musas Stygis impia nata,
 Horrendum vexat de caelo Pallada missam,
 Conditam de superis meditans euertere regna.
 Sic audax terrae suboles, fera turba gigantum,

B

Arma

q) Vid. Zwinger in diss. de barbarie sup. saec. orta ex Graecae linguae ignorantia.

r) Conf. Mayerus in eccles. papaea Luther reformationis patrona ac cliente. Cap. V.

s) Probat ex Caselio Hallbauer l. c. §. 6.

t) Ait Burchard tr. de fatis lingu. lat. in Germania, cardinalem ab Alta Ems, Constantiensem episcopum, pro synonymi habuisse piscatores et pisces, et frigum et friguncus pro frigore substituisse, vnde ioco dictus sit Cardinalis Friguncus.

u) Conf. Tribbechovius de doctoribus

scholast. et corrupta per eos rerum diuin. et hum. scientia. Idem dolet Lutherus in ep. ad Spalat. T. I. epist. Luth. p. 10 „ Pars crucis, in, nit, vel maxima est, quod videre cogor fratrum optima ingenia, bonis studiis nota, in istis coenis (Aristot. et scholast. scriptis) vitam agere et operam perdere.

x) Conf. Schöttgen l. c. §. 8.

y) Vid. Orat. Winshemii praelect. Dialect. 1560. incipientis.

z) Fatetur ipse Erasimus se natum saeculo parum felici, quum passim regnauerit barbaries, ad 1. Thess. 11. 7.



Arma manusque tulit superis, Iouis ausa parare
 Fascibus interitum, sed vindice fulmine tacta,
 Montibus obtegitur propriis Titania proles:
 Ut tandem meritas scelerum dedit improba poenas
 Atque suo squalore sibi sua funera traxit.
 Finibus extorris sapientia tristis oberrat,
 Lento procedit gressu vultuque remisso,
 Impia fata dolet viduasque colentibus aras, *aa)*
 Maestate carens, inhonoro vadit amictu,
 Laxaque duplicibus tundit praecordia palmis.
 Cura dolorque trahunt imo suspiria corde
 Ac tandem, manibus tensis ad sidera, voce
 Luctifona promunt haec singultantia verba:

„O Pater alme, Pater, nivea circumdate luce,
 „Intolerans tristi dominantes nocte tenebras,
 „Nonne meos errare vides sine lumine natos?
 „Nonne (nefas!) septas picea caligine terras?
 „Nonne dolos Erebi? nec natam fedibus orbam?
 „Eheu! Nonne vides - - haeret mea lingua referre - -
 „Vah! perii! perii! confidentissima Ditis
 „Filia, facta nigris Erebi sine sole barathris,
 „Umbrarum sedes et pallida regna reliquit,
 „Germano rapidis iuga nexuit vnguibus orbi,
 „Cultoresque meos in peias flectere coepit.
 „In te quid suboles mea, quid delinquere tantum?
 „Quid Musae potuere? quibus (miserabile dictu)
 „Teutoniae fines et dulcia regna negantur?
 „Ah! si nata tibi, tua si tibi numina curae,
 „Si tua iura cupis nomenque decusque manere, *bb)*
 „Respice me properaque meis succurrere sacris.
 „Ah! misere mei! Pater, ah! miserere meorum!
 „Te per ego te posco, Pater, per vulnera nati,
 „Qui Stygias proprio discussit funere noctes:
 „His, inuicte, malis per eum nos eripe, nostris

„Redde

aa) Bruckerus Hist. Phil. T. IV. p. 80.
 adducit lamenta Bernardi Adelmar, cano-
 nici Augustani, de patriae barbarie inge-
 niorumque squalore vehementer conquesti

in epist. ad Io. Reuchlinum.

bb) Detrimentum a barbarie sacris illa-
 tam refert Buddeus in diss. de prouid. diu.
 circa reform. Cap. II. §. 3. sequ.



„Redde sacris ciues, et cultu redde priorem.
„Auxiliator ades, mea res, tua gloria poscunt.“

Haec ubi dicta dedit, laeuum tonat omine dextro,
Ac mulcet dictis moerentia pectora Numen:

„Pone metum, pia nata, tuas modo deiice curas:
„Rite paterna pia nosti prece flectere corda.
„Exitus esto malis! esto nunc meta furorum!
„Sat iam supplicii, sat poenis crimina soluit
„Gens humana, datae male lucis abusa nitore,
„Quum patefacta satis nostri mysteria flatus
„Doctrinis torquere suis hinc inde soleret,
„Arteque non licita, laeuos effingere sensus. cc)
„At dono commissa. Nouo fulgebit Olympus
„Sidere. Diffugient erronea nubila mentis.
„Laeta tuis lacrymis mittet solamina Nicer.
„Bretta dabit puerum, non lenem talibus ausis,
„Ultorem scelerum, qui lapsam restituet rem,
„Atque tuis aris veteres reparabit honores.“

Dulce sopor lassis, aiunt, sitientibus vnda,
Dulce noui flores apibus roresque cicadis:
Dulcius at praesens rebus solamen in arctis
Palladiae menti fuit. Induit ora serena
Et longos pellit luctus et it obuia dicto
Instauratori rerum dea laeta suarum,
Et comites ducit Charites Clariasque sorores.

Est locus ad lenem riuum, laetissimus hortis,
Iugeribusque virens, aequans Peneia tempe,
Bretta Palatinae dictionis limes amoenus.
Huc veniunt puerumque vident et basia figunt.
Nectare Pierio, donis fragrantis Hymetti,
Mellibus egregiis, adspergunt ora Philippi.
Basia fixa duos inspirant ossibus ignes.
Alter barbariae creat iras, dd) alter amorem

B 2

Excitat

cc) Mart. Simonius de causis pereun-
tium litterarum hanc causam recte nomi-
nat ingrauescentis barbariae, licet male
eam in coetum nostrum adplicare videa-
tur. Consentit Hallbauer l. c. §. 18.

dd) Ad iustam iracundiam pronum fuis-
se Philippum, docet Camerarius p. 6. Af-
firmat idem p. 57. Humorem, quem flauae
bilis nomine appellat, materiam praebuis-
se animi affectionibus vehementioribus.



Excitat in Musas, Charites, ipsamque Mineruam,
 Vt fortem cernit forti de Patre creatum,
 Armorum, valida claro virtute, magistro, *ee*)
 Inuictis cingit lumbos armata Virago
 Armis, patriis non conuenientibus, armis.
 His vti recte mentem simul instruit ipsa,
 Ipsa magistra sua reliquis praestantior arte
 Discipulum stimulat validis ad grandia dictis.
 Nec linquit puerum. Comes it Phorcenida missa,
 Quo tum Simleri (fatis est memorare celebris
 Nomen doctoris) iuuenes doctrina vocabat. *ff*)
 Bis Titan cursu duodena reuiferat astra:
 Inde lubens Heidelbergam comitatur euntem.
 Hic, patris in patria, didicit feliciter artes,
 Quas Latium, quas Hellas habet, quas sidera seruant,
 Nosse fidem veri, varias euoluere causas,
 Semina virtutum, faeclorum gesta priorum,
 Grande loqui, dulci deducere carmina plectro,
 Et quae commendant, et quae prodesse putabat.
 En! armaturas non lenes induit heros,
 Quae, ceu Palladio, contra vim nititur hostis.
 Horrida barbaries praesagit, triste reuolui
 Exitium sibi, terrificae nigrantibus alis,
 Morbonae vocat auxilium de limine Ditis.
 Paret amica, febri iuueniles corripit artus,
 Atque schola, rabie repetita, cogit abire.
 Vana tamen firmis est haec sine viribus ira.
 Aequis germanae precibus de patre sororis
 Exoratus opem fert aegro, frater, Apollo,
 Surrectura sibi per eum noua carmina sperans.
 Sospes barbariae mox intulit arma Tubingae,
 Munere digna suo, persona digna magistri.
 At quanta, quanta cito circumfusus erat vi!
 Aggrediuntur eum monachi sterilesque sophistae,
 Insanam monstri causam seruare tuentes.
 Clamant, adfirmant, negitant, conuicia fundunt,
 Opponunt, miscent, distinguunt inter et inter,

Et

ee) Multa in eius laudem habet Cam. p. 2. *ff*) Laudat hunc praeceptorem Cam. p. 7.

Et sinuosa manu fallace sophismata neſtunt. *gg)*
 Sed didicit nodos meus extricare Melanchthon, *bb)*
 Confutare rudes et confutare sagaces,
 Clamantesque viros in mutos vertere pisces.
 Siccine se fortem praebet timidumue Philippus?
 Haecine testantur validos mollesue lacertos?
 Nonne grauis tollit vires in milite caussa?
 Vt magnum multis nomen memoratur in oris,
 Tanti fama viri terras volitauit in omnes
 Leucoridosque simul cupidas penetrauit ad aures.
 Tunc sacra condiderat patriis sacra Musis
 Albidos albentes Saxo Fridericus ad vndas. *ii)*
 Quaerit doctorem graecum. Dat Capnio, qualem
 Officio tali desiderat ipse Lutherus. *kk)*
 Brettus de Nicro Vitebergam rite vocatur,
 Audit, adest. *ll)* Fuge nunc, fuge, barbara filia noctis,
 Ac veteres iterum pellenda reuise cauernas.
 Teutonicis terris, sub iniqua nocte sepultis,
 Denuo de rutilo noua stella refulget Olympo,
 Discussura nigras nidito splendore tenebras. *mm)*
 Hic se dulcis, Io! facies, dulcissima rerum
 Se facies offert oculis, nunc amplius artes
 Oblectare domi datur. Aurea Leucoris audit
 Carmina, dulcisonis citharis cantata Philippi, *nn)*
 Queis ingressurus Clarias nouus aduena sedes
 Marmoreos animos et ferrea pectora mouit:
 Qualis Dis genitus vates, Rhodopeius Orpheus,
 Threiciis multis fidibus Phlegetonica monstra,
 Auritasque lyra quercus tiliisque cedrosque
 Indomitasque feras et saxa sequentia traxit.

B 3

Sic

gg) Cf Brucker hist. Phil. p. 273.
bb) Camerar p. 61. „Disputando, inquit, in responsionibus aduersariorum admodum erat metuendus et plurimum valebat., Cf. Id. p. 22.
ii) A. R. S. ∞ 10. 11. a d. XVIII. Oct.
kk) Vid. in epist. Luther. T. I. p. 77. Cf. Camer. p. 24, 28.
ll) Aduentauit Vitebergam VIII. Cal.

Sept. ∞ 10 XVIII. vti Bruckerus ex Melch. Adamo l. c. §. 47. p. 274. adfert.

mm) Primum caligini aetatis istius lumen a Phil. illatum docet Cam. p. 27.

nn) Admiratur ingenium eius poeticum Scaliger Lib. VI. poetices. Testatur etiam Mathes. conc. XIII. saepe cum Luthero cecinisse Philippum carmina sacra et profana poetarum veterum. Cf. Orationes Epitaph. et Epigr. in morte Melanchth. passim.



Sic animos captat, sic sensim reddit amicos
 Artibus, atque novos hostili procreat hostes
 Barbariae, quamuis rumpantur viscera monstro.
 Sed maiora parat noster, maiora peregit,
 Magnae molis opus mirandaque facta peregit,
 Herculeosque pari subiit sudore labores.
 Gloria Romulidum, squaloribus obsita longis,
 Ac tumultata, sua nunc tersior arte reuixit.
 Brettiades docuit voces resonare latinas
 Teutona, desuetam nitidi sermonis honore.
 Horrida, plena situ, temeraria, plumbea, clauda, oo)
 Portentosa sonis et sesquipedalia verba,
 Raucifono rudium Cyclopum murmure digna,
 Barbara quae proles tum proiciebat vbique,
 Sustulit aut salibus puris veterumque lepore
 Sermones iterum condiuit et arte Melanchthon.
 Immoto doctus consistere disciplinas
 Fulcro Grammatices, et ea eeu matre foueri,
 Difficilem natis cursumque viamque leuante, pp)
 Hanc primus retulit iustasque reducere formas
 Vocibus, et recte docuit connectere verba,
 Seu Latius traherent, seu Graecis, oribus ortum.
 Grammaticen duplicem dedit, arma minacia monstro,
 E ruditate suis quaerenti commoda regnis.
 In calidos priscum liuguarum frigus amores
 Vertit et in desiderium fastidia prima.
 Graecus honos, caecas Erebi detrusus ad vndas, qq)
 Aethereas per eum fauste reuocatur in auras.
 Graeca vident et Graeca placent et Graeca leguntur.
 Muribus et blattis tineisque volumina rosa
 Protrahit, emendat, legit, explicat atque resoluit.
 Incipit a scriptis Demosthenis, ora disertis,
 Et tantum quatuor prius auditoribus edit,

Quae

oo) Huc pertinent voces ferrea ista aetate excusae, Burginagister pro Consule, Menista pro poeta, Calcifex pro sutore, Burista pro rustico, quarum copiam habent Schoettgen l. c. et epist. obsc. vir.

pp) Vsa erat inuentus Doctrinali Ale-

xandri Galli, scriptoris Saeculi XII., Grammatica, carmine latino perobscuro conscripta. Vid. Schoettgen l. c. §. 4.

qq) Cf. Weideneri Disp. Delineatio curiae papalis et Zwinger l. c.

Quae contra Graeum fertur dixisse Philippum. 57)
 Tum, quid Aristoteles, quicquid, Plato, docte leporum,
 Quicquid Maconides, Ascræaque gloria, mellum,
 Carminibus condis, solers reperire Melanchthon
 Nititur, et cupidae sensus exponere genti.
 Nouerat, infirmis persistere sacra columnis,
 Quae nisi cum linguis, Sophies firmentur et arte. 55)
 Hinc trahit e caeco rationem carcere clausam,
 Barbara cui vires animi subiecerat aetas. 11)
 Noctis iter tandem finit, caligine pulsa,
 Candida succendit meditati lumina menti
 Restituitque suo Dialectica iura valori. 11)
 Prodit et ipse sui cerebri praecepta Magister
 Atque Stagiritae felicis organa soluit. 22)
 Cernit et attonitus violentia spicula veri
 Miratur latebrasque suas stupet arte reclusas,
 Viribus eneratis, proles sinuosa, Sophistes. 33)
 At semel inceptum tendit pertexere filum
 Doctor, amans rerum causas bene nosse iuventam.
 Ergo datas animae vires actusque recenset,
 Ac noua multa, prius non vlli cognita, pandit.
 Transit ad ingenium naturae, mille creantis
 Corpora, mille sinu formas praegnante fouentis,
 Semina prima docens compositaque stamina rerum,
 Seu mare, seu tellus habeat, seu diffusus aether.
 Tum piceam scelerum faciem viuente calore
 Pingit et ingenua virtutem fronte venustam,
 Vt cultus placeat, non fictus ab arte dolosa.
 A prima varios deducit origine mores,
 Quos tolerant homines, et quos tolerare recusent.
 Dissuadet motus, nimium per corda vagantes,

Ac

57) Vid. Stockii Orat. de ignorantia.

Tu habes pedem

55) Vid. T. I. Declam. p. 326. et Hallbauer l. c. §. 5.

E. tu es asinus.

11) Ipse vocat se Dialecticum optimo iure, vti docet Io. And. Quenstedt de patriis vir. illustr. Tum enim de intellectu altum tenebant silentium logice curricula, teste Schoettgen. l. c. Consultit Zepfeliuss in epist. obsc. vir p. 542. amicum de soluendo argumento perdifficili: Asinus habet pedem

Putabat distinguendum esse inter pedem rationalem et irrationalem. Cf. Brucker l. c. p. 277.

11) Cam. p. 388.

22) Vid. Matthesius, auditor eius, conc. XVII. et Brucker l. c. p. 102.

33) Cui tortuoso generi vt aduersatus sit Mel. docet eius epistola ad Languetum in Actis Philip. p. 27. et orat. de vtilit. philos.



Ac docet, vt tumidos valeant sedare tumultus.
 Sic omnes Sophies partes ex ordine pandit,
 Commendatque scholis et praeceptoribus ipsis. *zz)*
 In fera quos torpor Cyraeo corpora more
 Verterat, his voces humanas reddit et ora,
 Eloquio praestans et duplici fulmine linguae,
 Perpolit ipse rudes linguas ornatque decore
 Legibus, arte sua scriptis. Licet ipse, facetus
 Sicut Aristoteles, balbas daret ore loquelas, *a)*
 Incultos grauibus dictis tamen arguit vsus. *b)*
 Seu nox densa nigra tegetet caligine terras,
 Seu lux prima diem depulsis redderet astris,
 Per varios casus, per multa pericula vitae,
 Omnia non timidus *c)* studio limauit et arte,
 Vt bene formaret rudis inficia corde iuuentae,
 Mellifluo docti pendentis ab ore Magistri.
 Ergo, bilinguis Erasme, *d)* nimis maledicere nobis
 Desine, nec, ductos grandi mercede, magistros
 Discipulis carnisse probis vel sacra, Lutheri
 Munda labore, pigris habitacula pandere, finge. *e)*
 Auditum tantae stupefacti vocis ad illum
 Mittunt potiores Thamesis Rhodanusque (magistrum
 Nec quicquam cupiunt ipsi:) *f)* Tagus, Aufidus, Arnus,
 Hebrus cum Tanai, Viadrusque superbus et Oenus,
 Danubiusque celer cursu, Mosella, Visurgis,
 Cum socio duplex Rhenus, quis nomina possit
 Omnia, quis gentes omnes memorare, quis vrbes,
 Quae natos motae, fama super aethera noti,
 Praeceptoris, agunt ad flavas Albidos vndas?
 E tali numero quantos hic excitat hostes

Barba-

zz) Cf. Brucker l. c. p. 240. et 243, nec minus p. 277. ubi commemorat compendia, a Melanchthone conscripta.

a) Cam. p. 69.

b) Vid. orat. de studiis corrigendis T. I. p. 489; de vtilit. phil. p. 333. seqq; in Rhadinum T. III p. 38. seqq. in operibus Mel. Grauius conquestus est loco, quem Chr. Funccius in Vale Altenb. Lit. C. adducit, de scholasticorum petulantia, et verbis non lenibus ita invehitur in istos: „Plus est „obedientiae apud milites, quam apud vos,

„qui vultis dici scholastici; minus inter milites Turcicos petulantiae est, quam inter vos, qui verius estis Strationitae, quam Scholastici „

c) Cam. p. 66.

d) Vid. Hallbauer l. c.

e) In epist. ad Io. Fabrum conscripta: „Linguarum professores, inquit, et alibi „magnis salariis conducuntur, sed non „sunt, qui audiant. Tantam ignouiam in „uexit hoc nouum euangelium. „

f) Camer. p. 145. et 179.



Barbariae, vehemens scriptis et voce, Melanchthon,
 Quum facile iurent iuuenes in verba Magistri!
 Hi victoris enim, tum signa ferentis in hostem,
 Luminibus claris fati ipsi cernere vires
 Et sortem poterant, comitem successibus aequis.
 Ille (vident) lenis brutum prius abstinet arte
 Pallados a sacris, vt apes, gens sedula, fucos,
 Ignauum pecus, a domuum penetrabilibus arcent.
 At dein ore deae spiratas induit aras,
 Lenes deponit nisus, it in antra ferina,
 Barbariemque suis premit in stationibus ipsam.
 Ista nihil contra valet aut valuere patroni,
 Praestigiis et fraude graues et Marte potentes.
 Impetit ipse duces, tremat Eccius ora Philippi,
 Et pacem dispar et amica silentia poscit. g)
 Nec cadit Augustae caput insuperabile bello
 Turbis ac telis hostilibus vndique septum
 Quassatumque nimis: velut inter viscera montis
 Per mare, per fluctus, magna se mole mouentis,
 Oclusus quatitur sine presso vibice Ionas.
 Sic nulla pugna, nullis offenditur armis,
 Nullo deuictus dare terga furore Philippus
 Discit, vt ignipotens Campegius horrida flammis
 Fulmina vibraret. Frustra. Bona caussa triumphat,
 Nec data tela nocent, nec lenior exiit heros
 Arma prius, stupidos dum profligauerat hostes.
 In cathedris et apud monachos superata Philippi
 Ante pedes cadit et magna procumbit humi vi
 Barbaries: silvae sicut caua procidit ilex
 Aut Libano summis radicibus eruta cedrus.
 Fortior hic domuit, lethalem felle, draconem;
 Ac tumidam fortis necuit manus Herculis hydram,
 Inuisam capitum partu Nonaeridos oris;
 Ac rabidum rapidis fregit Pythona sagittis
 Pythius, e terrae natam putredine, pestem.
 (En similem cum barbariae natalibus ortum!
 En similem cum barbariae merita nece casum!)
 Hoc duce victa scholis procul ignorantia cedit

C

Matu-

g) Eccius Lipsiae ad Philippum in disputa- „dita cura, nec me perturba.“ Seckendorf
 tat: „Tace tu, Philippe, inquit, ac tua stu- Hist. Luther. p. 81. et Cam. p. 34.



Maturatque fugam, nimium dominata per illas.
 Alma Minerua redit, redit alii gloria Pindi,
 Quae locupletat eas et munere ditat abundanti
 Ingeniis cathedras melioribus, *b)* improbas apti
 Quum labor herois rem splendoremque scholarum
 Teutoniae grandi tandem virtute referret.

En, Auditores, en omnia certa magistri,
 Omina certa viri, non lenis in, auia Musis,
 Saecula, barbariemque feram. Manet ergo Philippo
 Gloria iusta, minus morienti, quum moreretur.
 Quicquid habent, o quicquid habent haec saecula solis,
 Quicquid habent Musae, quicquid sapientia, quicquid - -
 Quicquid sit, Teuto tibi debet, Magne Melanchthon,
 Nomen honorificis cedris ac marmore dignum!
 Donec erunt Musae, donec sapientia, donec
 Soles post tenebras splendebunt; stent tibi grates.
 Nullus homo nullusque dies abolebit honorem,
 Per solis cursus, per saecula fera virentem,
 Ne spissa laudes rapiat sub nube vetustas.
 Non lenis dirae feritatis victor et hostis
 Et tu viuis eras et tu post fata manebis.
 Immoderata quidem mors, aiunt, omnia lenit.
 Lenit. Perpetuas hac lege Melanchthonis iras
 Eximo. Dum sospes vitales carperet auras,
 Lenior haud vmquam minus ille fuisse videtur,
 Quam moriens, sua quum patriae committere dextrae
 Et sacra ferueret. Quam tum, quam duriter ille,
 Membra quidem fractus, sed corde potentior, hosti
 Obsistit. Gelidus iam pallor in ore moratur:
 Non tamen omittit vires in postera saecula
 Frangere barbariae. Deus, o! qua te prece poscis,
 Quo feruore precum, quo sancto pectore supplex,
 Qua pietate, sacris ne barbara saecula reducas,
 Et magis atque magis melius splendescere Soles
 Terris et sacris iubeas. *i)* O arma virumque!

b) Vid. Seckend. I. c. L. III. §. 117.

i) Moribundus in ultimo scripto, quo Paschatos sacrum A. P. G. ∞ 10 LX. celebrandum indixerat, magnis precibus in barbaricam crudelitatem inuehitur, et in ipso

agone mortis de ecclesia, academia et toto discipulorum coetu magis, quam de sua morte aut suorum orbitate sollicitus erat. Vid. Orat. epitaph. et scripta in mortem Mel. orat. I.

